



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

II. De motu locali generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

maior, aut minor; & quod sint commensurabiles; ad hoc enim ut sint commensurabiles, requiritur inter eas rationalis proportio, scilicet dupli, vel sesquialteri, quod exigit vnam partem aliquotam vnius esse quoque aliquotam alterius, quae sit communis virtusque mensura, utpote quae sit medietas vnius, & tertia alterius; tunc enim illae quantitates habent se sicut numeri, quorum unitas mensura est communis, ex cuius defectu diameter licet longior costa, non est tamen ipsi commensurabilis. Hoc posito.

Duplex
probatio
Philosophi.

Probatur conclusio duplici ratione Aristotelis. Prima est, quia si motus per circulum aequè velox est, ac motus rectus, sequitur quod aequali tempore transibit aequale; hoc autem implicat, quia sic daretur circulare, quod esset aequale recto: ergo motus circularis & rectus non possunt comparari secundum velocitatem. Secunda probat, non posse comparari motum localem cum alteratione, quia aequales motus aequali tempore transeunt aequale; & qualitas non est aequalis spatio: ergo alteratio non est aequalis motui locali.

Ratio à
priori.

Ratio à priori est, quia inter illos motus non potest esse comparatio propria secundum velocitatem & tarditatem, quae non possunt habere vnam mensuram communem: sed motus specie diuersi, rectus nimirum & circularis, non possunt habere vnam mensuram communem; pars enim recta non habet proportionem cum curua. Vnde argumentor. Si esset eadem mensura communis, ea esset aequalitas duarum linearum, quarum altera esset curua, & altera recta: sed illa aequalitas non est communis mensura, quia linea circularis aequalis rectae non potest petri transiri eodem tempore, quo recta: ergo motus recti, & motus circularis nulla potest esse communis mensura. Confirmatur, quia si ex linea circulari fieret triangulus, maiori tempore opus esset ut eadem celeritate percurreretur propter versionem angulorum: ergo si ex triangulo fieret quadratum, cum maior esset area, maior esset circulatio: ergo si fieret circularis, quae est omnium capacissima, esset amplior area, & ita mobile ut eandem lineam circularem decurrat, maiori eget tempore quam si esset recta.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Velocitas est accidens motus, sicut albedo est accidens corporis: sed duo corpora specie diuersa comparari possunt in albedine: ergo duo motus, circularis & rectus, comparari possunt in velocitate.

Secunda
obiectio.

Respondeo negando paritatem, quia datur vna mensura communis albedinum, quae sunt in corporibus specie diuersis; non datur autem vna mensura communis velocitatis motuum specie diuersorum.

Obiicitur secundò. Velocitas motus attenditur penes longitudinem spatij quod decurratur: circularis, & recta sunt longitudine comparabiles: ergo motus circularis & rectus possunt comparari. Probatur minor, quia potest solum, quod in longum protenditur, in circulum contrahi, eadem permanente longitudine sub diuersa figura: ergo linea circularis & recta possunt longitudine comparari.

Tertia ob-
iectio.

Resp. negando maiorem; nam in motu circulari, ut dixi, non attenditur velocitas penes lineam descriptam, sed ex eo petitur, quod in tanto tempore tales anguli circa idem centrum describantur; propterea enim licet aequales sint lineae, non possunt tamen decurri eodem tempore, quia non habent eandem capacitatem.

Obiicitur tertio. Omnis linea quanta est alteri

vel aequalis, vel inaequalis: sed linea recta & circularis sunt quanta: ergo sunt aequales, vel inaequales. Patet v. g. quod arcus est longior, quam chorda; imò linea recta definitur esse omnium breuissima.

Resp. verum esse quod omnes istae lineae possunt habere aequalitatem, aut inaequalitatem; sed nego illas esse mensurabiles proportionem rationalem, quia non est ambarum vna mensura; vnde fateor illas aequales esse, sed nego illas aequales eodem tempore decurri posse.

QVÆSTIO II.

De motu locali generatim.

DE motibus alterationis & accretionis, commodior alibi erit dicendi locus, ut monui. De motu locali plura ponuntur in libris de cælo, occasione motus cælestis; nunc de illo generatim accepto quatuor breuiter dici possunt; eius existentia, quidditas, causa, species aliqua: reliqua referuo in tractatum sequentem.

SECTIO I.

Existentia motus localis.

Arist. 6. Physic.

NEGABAT Zeno, dari motum vllum localem, atque idipsum plurimis probabat argumentis, quae dissoluit Philosophus à textu 74. videndum igitur primò est, utrum verè detur motus localis: secundò utrum ille sit aliquid distinctum à mobili, & à loco.

§. I.

Utrum verè detur motus localis.

Dico primò, certum omninò esse, quod prius datur motus localis, neque contrarium euincunt rationes quibus illum impugnabat Zeno. Dux priores disputatione tertia soluta sunt, quia procedebant ex infinitate continui. Tres aliae restant hic breuiter proponendae, ac dissoluendae.

Conclusio.

Prima est. Quod quiescit in quolibet nunc temporis, non mouetur in illo tempore: sed id quod moueri dicitur, puta sagitta, in quolibet nunc temporis quiescit: ergo non mouetur. Probatur. Quod est in sibi aequali loco, non mouetur: sagitta in singulis nunc est in sibi aequali loco: ergo non mouetur.


Prima ratio
Zenonis.

Respondet Philosophus, mobile quidem in singulis nunc temporis non moueri; sed in partibus temporis moueri, ubi spatium occupat maius se.

E

Secunda est. Si daretur motus, sequeretur duplicem esse aequale suo dimidio; sumantur enim tres magnitudines aequales, singulae habentes quatuor partes aequales. Prima sit immobilis, quae vocetur AAAA, secunda vocetur BBBB, quae sit supra lineam A, & incipiat ex media parte illius, ita ut primum B, sit cum secundo A; tertia dicatur CCCC, quae ponatur sub fixa magnitudine, ita ut primum C, sit cum ultimo A, contra B, sic:

Secunda ra-
tio Zenonis.



Tunc magnitudo ista C, moueatur intra horam per totam magnitudinem A, ita vt cum perueniet ad secundum A, ubi inceperat B, moueatur B, versus A, à quo inceperat C: tunc quia B, non habebit pertransseunda nisi duo A, intra mediam horam mouebitur, & in illa media hora ipsum C, transibit alia duo A; in fine autem mediæ horæ simul erunt tres magnitudines. Tunc sic arguuntur, B, intra mediam horam pertransibit quatuor palmos C: sed quatuor palmi C, sunt æquales quatuor palmis A: ergo B, intra mediam horam tantum conficit spatium, quantum C, conficit intra horam; & tamen supponuntur æqualiter moueri.

Respondet Aristoteles, esse impossibile vt duo mobilia, quæ mouentur æqualiter, transeant æquales magnitudines fixas inæquali tempore; quamuis possint inæquali tempore pertransire magnitudines æquales, quarum vna non est fixa, & mouetur contra mobile; illa enim quæ mota est, citius transitur; & hoc accidit in casu proposito: nam C, transit vnâ horâ totam magnitudinem A, immotam; & B, vna semihora totam magnitudinem C, quæ mouetur versus B.

Tertia ratio Zenonis.

Tertia Zenonis ratio est, dum res mutatur, v.g. quando ex non alba fit albâ, nec est sub vno extremo, nec sub altero: ergo inter contradictoria erit medium.

Respondeo rem dum mutatur, esse partim sub vno extremo, partim sub altero; v.g. quantitas bipalmaris si ex non alba fit albâ, secundum primum palmum est albâ, secundum alterum non erit albâ.

§. I. I.

Virum latio sit aliquis modus distinctus ab ipso mobili.

Conclusio affirmans.

Dico secundò, tenendum omnino esse, quod motus localis est entitas modalis distincta realiter & à mobili, & à loco: non est autem sola connotatio noni loci. Sic censent communiter omnes contra Scotum & Gregorium, quibus placet motum localem non esse aliud, quam entitatem mobilis, prout coexistit successiue spatio.

Prima ratio.

Ratio tamen illa primò est, quam saepe in simili casu attuli. Implicat omnino vt attribuat alicui noua denominatio, nisi prius intelligatur facta esse in aliquo mutatio: sed mobile per motum localem acquirit nouam denominationem, quod nimirum coexistit modò huic, modò alteri loco: ergo debet facta esse mutatio vel in mobili, vel in loco, vel in aliquo alio: atqui mutatio non est facta in loco, nec in ipsa entitate mobilis, quæ eadem omnino est ac ante: ergo in ipsa entitate motus, quæ fit cum prius non esset.

Euasio.

Dices, fieri mutationem in mobili, quatenus connotat locum, quem prius non connotabat.

Sed contrà. Implicat vt mobile connotet locum, quem prius non connotabat, nisi vel in ipso, vel in aliquo alio factum sit aliquid, quod non erat ante: sed per se mobile nunc connotat locum, quem ante non connotabat: ergo vel in ipso, vel in aliquo alio debet esse factum aliquid, quod non erat ante.

Secunda ratio.

Secundò illa distinguuntur realiter, quæ possunt separari: sed potest motus separari à mobili, quia dum mobile quiescit, non habet motum: ergo motus distinguitur à mobili.

Euasio.

Dices, responderi facillè posse (sicut dictum est

A de vicatione ac duratione) quod motus non separatur à mobili secundum id quod dicit in recto, sed tantum secundum id quod connotat in obliquo.

Sed contrà. Implicat vt exurgat vlla noua relatio, aut denominatio, nisi alicubi fiat aliquid, vel intrinsecum, vel extrinsecum; id est, vel fundamentum, vel terminus, vel aliquid aliud: sed per se res quiescens habet entitatem motus, & non connotationem: ergo implicat vt habeat illam connotationem, quin fiat aliquid, vel intrinsecum, vel extrinsecum ipsi mobili: atqui nihil dici potest fieri præter motum: ergo motus est aliqua entitas noua.

B Tertiò. Si motus non esset entitas distincta à mobili, sequeretur quod mobile non aliter se haberet, quando mouetur motu circulari, quam quando mouetur motu recto; quia moueri esset entitas mobilis prout connotat varium & varium spatium: sed in vtroque motu idem reperitur: ergo sunt idem.

Dices, vario modo connotari locum in motu circulari, & in motu recto.

Contrà. Varius ille modus connotandi est aliquid in mobili, quod non esset si moueretur motu recto: ergo est aliquid distinctum ab entitate mobilis.

Denique omnis potentia realis habet actum realem sibi correspondentem: sed potentia motrix est vera potentia realis: ergo habet actum realem sibi correspondentem. Ille actus realis non est entitas mobilis, sed est entitas motus localis: ergo motus localis est entitas realis distincta realiter à mobili.

Obiicitur primò. Sicut duratio non est aliquid distinctum ab entitate rei durantis, ita nec motus est aliquid distinctum ab entitate mobilis. Probat, quia vt res coexistat successiue diuerso tempore, non est opus noua entitate durationis, quæ distinguatur à re durante: ergo nec opus est re distincta ab ipso mobili, vt mobile successiue coexistat, diuerso loco.

Resp. negando paritatem, quia dum res durans coexistit diuersis temporibus, fit mutatio in ipsis temporibus; & ita res planè immutata coexistere potest diuersis temporibus, sicut rupes in litore fluminis immota coexistens est diuersis aquis: at verò locus non mutatur, ideoque oportet omnino vt mutetur mobile, alioqui non coexistet diuersis locis.

Obiicitur secundò. Vt aliquis intelligatur moueri localiter, sufficit quod entitas mobilis connotet diuersas partes spatij, & variam distantiam: sed mobile per suam entitatem distat, & præsens est spatio: ergo motus localis est entitas mobilis.

Resp. distinguendo maiorem. Mobile per suam entitatem distans est, & præsens spatio permanenti, concedo; successiue, nego. Id est quando quiescit, non eget alia entitate superaddita vt præsens sit loco; quando autem præsens est successiue, eget alia entitate superaddita, quia non potest noua exurgere denominatio sine noua forma denominante.

Obiicitur tertiò. Non est maior ratio, cur motus sit distinctus à mobili, vt mobile connotet modò vnum, modò aliud spatium, quam vt ubi sit distinctum, vt per illud locatum connotet tale spatium.

Resp. negando paritatem, quia dum mobile connotat successiue spatia diuersa, diuerso modo se habet, neque aliud recipit quam motum: ergo motus

motus est aliquid distinctum à mobili; at verò dum res est præsens loco permanenter, & illum connotat, cum ante non connotaret, sufficienter intelligitur aliter se habere per ipsum motum.

Quarta ob-
iectio. Obicitur quartò, Mobile debet mutari, vt co-
existat loco, cui non coexistebat ante: ergo locus
debet mutari, & accipere aliquid noui, vt coexistat
corpori, cui ante non coexistebat: hoc autem ab-
surdum est: ergo sicut locus sine vlla sui mutatio-
ne coexistere de nouo potest corpori, potest etiam
sine mutatione ipsum mobile coexistere loco.

Resp. negando paritatem, quia locus non co-
existit mobili per actum ipsius loci, sed per actum
ipsius mobilis; mobile autem coexistit loco per
actum ipsius mobilis, & per potentiam motricem
residentem in ipso mobili, vel certè illi ab extrin-
seco impressam; vnde coexistentia illa debet fieri
per mutationem factam in mobili, non autem per
mutationem factam in ipso loco.

SECTIO II.

Quidditas propria motus localis.

Definitur motus localis ab Aristotele, *Actus
deus quod fertur propter fertur*, seu motus secun-
dum vbi. Videndum igitur est primò, an, & quo-
modo successio sit illi essentialis; deinde quænam
sint diuisiones motus localis.

S. I.

*Verum motus localis esse possit instantaneus, an
verò essentialiter sit successiuus.*

Aliis verbis proponi solet, an quolibet motu
veloci velocius possit dari: qua de re disputat
Philosophus 6. *Physic. textu 15.* si enim nullus est
motus, qui non sit successiuus, certum est quod
quolibet motu veloci dari potest velocior.

Conclusio
negatiua. Dico primò, nullum esse possibilem etiam di-
uinitus motum localem instantaneum, sed illi
essentialiter esse successiuum. Ita docent Suarez, &
Vasquez, eosque sequuntur plurimi Doctores.

Explicatio. Dixi motum propriè dictum, idest, qui sit cum
transitu per medium: asserui v. g. Petrum ne diui-
nitus quidem posse in instanti Lugduno ire Pari-
sios, transiendo per totum medium interiectum,
quod sic à me ponitur. Primò vt excludam pro-
prium motum, quo Angelus potest non deferendo
spatium in quo est, occupare nouum spatium mu-
tato modo extensionis. Secundò vt excludam mo-
tum Angeli, quo potest, iuxta communem senten-
tiam, deferere locum totum, in quo est, & locum
occupare proximum. Tertio, vt excludam adduc-
tionem, quæ non est nisi productio noui vbi, si-
ue prior deferatur locus, siue non deferatur; si
enim illa esset possibilis, fieri sine dubio posset in
instanti.

Prima pro-
batio. Ratio igitur primò est, quia implicat aliquid
adequari eodem instanti spatio maiori se: sed in
motu mobile ponitur in spatio maiori se: ergo im-
plicat dari motum localem in aliquo instanti.

Ratio. Respondent aduersarij, posse aliquid fluenter
adequari spatio maiori se, non posse adequari
permanenter.

Sed contrà. Implicat vt aliquid simul, & semel
adequetur alicui spatio, & tamen adequetur fluen-
ter: sed quod adequatur in instanti, adequatur si-
mul: ergo quod adequatur in instanti, non ade-
quatur fluenter. Probatur maior. Id quod simul

A adequatur alteri, habet simul præsentiam cum to-
to altero: sed implicat vt aliquid simul etiam fluen-
ter habeat præsentiam cum toto altero maiori se:
ergo etiam fluenter non potest adequari simul ma-
iori se. Probatur minor. Implicat aliquid esse alte-
ri æquale, & non æquale: sed quod habet præsen-
tiam cum toto altero, est æquale illi, & tamen non
est æquale, quia supponitur minus: ergo implicat
vt aliquid simul habeat præsentiam cum aliquo to-
to maiori se. Deinde ostendo implicare vt aliquid,
in instanti adequetur spatio maiori se. Adequari
spatio in instanti, est simul adequari toti spatio;
adequari fluenter, est prius adequari vni parti
spatij, deinde verò adequari alteri parti: sed ade-
quari simul, & non adequari simul, sunt contra-
dictoria: ergo adequari in instanti, & adequari
fluenter, sunt contradictoria.

Secundò. Implicat vt sine replicatione aliquid
simul plura loca occupet: sed mobile quod moue-
retur in instanti, occuperet simul plura loca: er-
go implicat vt aliquid moueatur in instanti. Pro-
batur minor. Illud est simul in pluribus locis, de
quo dicere licet eodem temporis instanti, *est in
termino à quo, in medio, & in termino ad quem*;
sed de eo quod moueretur in instanti, liceret di-
cere in eodem temporis instanti, quod esset in ter-
mino à quo, in medio, & in termino ad quem;
quod probò, quia si non est simul in medio, & in
termino ad quem: ergo prius est in medio, quam
in termino ad quem: ergo ille motus est successi-
uus, in quo est prius, & posterius. Confirmatur,
quia de homine qui moueretur in instanti, liceret
dicere, *est in termino ad quem, & non est in ter-
mino ad quem*. Est, quia supponitur; & non est,
quia quando licet dicere, *Petrus est in medio*; li-
cet dicere, *non est in termino ad quem*: sed eo in-
stanti licet dicere, *Petrus est in medio*: ergo licet
dicere, *Petrus non est in termino ad quem*. Imò sic
posset Romæ ire Parisios, & redire Romam eodem
instanti; quod absurdum est, quia reliquisset Ro-
mam, & non reliquisset: reliquisset, quia iussit
Parisios; non reliquisset, quia eodem instanti di-
cere liceret, *est Roma, non ergo reliquit Romam*.

Obicitur primò. Virtus motrix infinita, qualis
est diuina, potest mouere velocius, quam quali-
bet virtus finita: sed si non possit mouere in in-
stanti, non poterit velocius mouere, quam qua-
libet virtus motrix finita: ergo virtus motrix infi-
nita potest mouere in instanti. Probatur minor. Si
motus non fiat in instanti, motus non habebit
velocitatem nisi finitam: sed velocitas finita potest
produci à virtute motiua finita: ergo si motus non
fiat in instanti, virtus motrix infinita non poterit
velocius mouere, quam qualibet virtus finita.

Resp. virtutem motricem infinitam in eo differ-
te à virtute motrice finita, quod dato quolibet
motu veloci virtus infinita facere potest motum
velociorem, quod non potest virtus finita, quæ ad
certum tantum motum est determinata; vnde ad
argumentum negatur prima minor. Ad probatio-
nem distinguitur minor. Velocitas finita potest
produci à virtute motiua finita, ita vt semper mo-
uere possit velocius, & velocius, nego; ita vt non
possit mouere semper velocius, & velocius, con-
cedo.

Instabis. Sumantur omnes virtutes motiue fini-
te possibiles; nulla est producibilis velocitas fini-
ta in motu, quæ non possit esse ab aliqua, vel sal-
tem ab omnibus illis virtutibus motiuis fini-
tis: sed Deus non potest producere velocitatem
nisi finitam: ergo Deus non potest mouere ve-
locius

Secunda
probatio.

Confirma-
tio.

Prima ob-
iectio.

Instantia.

lociū quam omnes virtutes motiū creatā simul A
sumptæ.

Resp. distinguendo minorem : sed Deus non potest producere velocitatem nisi finitam, maiorem semper & maiorem, concedo; velocitatem finitam tantum, & non maiorem, nego; nam omnes virtutes finitæ simul sumptæ hoc habent, quod singulæ possint producere hanc, & non maiorem velocitatem.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò. Potest Angelus, ex communi sententiā, deferere in instanti totum locum, in quo est, & transferre se ad locum proximum : ergo saltem diuinitus transire potest ad remotum, quia hic motus Angeli est verè fluxus.

Resp. concessio antecedente, negando consequentiam, quia per illum motum Angelus non adæquatur spatio maiori se; per motum autem ad locum remotum mobile adæquatur spatio maiori se, idè in instanti non potest fieri motus ad locum remotum, tametsi Angelus, qui est indiuisibilis, possit in instanti transire ad locum proximum, sicut dictum est in tractatu de Angelis.

SECTIO II.

Quenam sint diuisiones motus localis.

Prima diu-
sio motus.

Dico secundò, rectè diuidi motum localem, primò in eum, qui fit à principio intrinseco, & eum qui ab extrinseco principio procedit. Ille dicitur esse à principio intrinseco, cuius principium est in ipso mobili; talis est motus animalium, & motus grauium ac leuium. Motus ab extrinseco est ille, cuius principium actum non est in eo quod fertur, sed in alio. Diuiditur à Philosopho hic motus 7. *Physicæ* textu 10. in tractionem, vecti-
onem, pulsionem, & vertiginem.

Secunda diu-
sio.

Secundò diuiditur motus localis in naturalem, & violentum. Naturalis est ille, cuius in se principium aliquo modo habet mobile, & ad quem naturalem habet inclinationem. Violentus, qui est ab extrinseco principio, nullam vim conferente passio, idè passio nullam habente ad illum inclinationem, sed reluctantem. De vtroque hoc motu dictum est secunda disputatione, diciturque in morali accuratius.

Tertia di-
uisio.

Tertiò diuiditur in motum simplicem, & mixtum. Simplex dicitur, qui non constat ex motibus diuersis, vel genere, vt ex recto & circulari; vel specie diuersis, vt ex recto, & recto; huiusmodi est motus omnium corporum simplicium. Motus mixtus est qui componitur ex motibus, vel diuersorum generum, vt ex recto & circulari; vel diuersarum specierum, vt ex ascensu & descensu. De hoc vtroque dicam sequenti tractatu, cum agam de motu elementorum.

Quarta di-
uisio.

Quartò diuiditur motus simplex in rectum, & circularem. Rectus est, qui fit à medio ad medium, idè à centro ad circumferentiam. Motus circularis, qui fit circa medium, idè circa centrum.

In his igitur diuisionibus motus localis continetur motus qui fit per impulsu, est enim species motus violenti; & motus reflexus, qui est species aliqua motus recti. De hoc vtroque motu propius hinc videtur esse dicendi locus; de reliquis alibi disputo.

SECTIO III.

De motu locali proiectorum.

TRiplici tantum modo explicari potest, quo-
modo projecta moueantur. Primus est Scaligeri exercit. 28. num. 1. quem audio nonnullis placuisse recentioribus, quod proiciens solam imprimat motionem corpori projecto; eam enim motionem durare per aliquod tempus. Secundus explicandi modus est Aristotelis 4. *Physicæ*, textu 68. 8. *Physicæ*, textu 82. 2. *cæli*, textu 28. libro de somniis & diuinacione per somnia, sect. 11. 1. *Problematum*, problem. 6. & in *mechanicis*, quest. 33. quem sequuntur S. Thomas ad ea loca Aristotelis, Fracastorius cap. 4. de *sympathia*, Pererius lib. 1. 4. *Physiologia*, cap. 4. Dandinus lib. 2. de *anima*, digressione 40. Volunt enim motum proiectorum fieri sine vlla virtute impressa corpori projecto, sed à solo medio, ita vt proiciens moueat partem aëris sibi proximam, hæc rursus aliam mouet, & sic consequenter. Prima ergo pars aëris, quæ ab ipso proiciente percipitur, primò impellit lapidem, quem deinde impellit altera pars aëris mota per illam priorem. Denique tertius modus explicandi communissimus, vult motum proiectorum fieri à mouente, media vi aliqua impressa ipsis projectis; quem vocant impulsu, seu impetu impressum; sed eum tamen difficultates oppugnant non leues; primò contra eius quidditatem, secundò contra eius productionem, tertio contra eius desitionem.

§. I.

Existencia qualitatis impressæ projectis.

Dicendum verò est, projecta sic moueri à proiciente, vt neque ab eo accipiant solam motionem, neque solū ab aëre commoto deferantur; sed qualitatem recipiant, quæ impellantur, & moueantur, donec desinat motus. Ita docent S. Thomas iam senior 1. 2. *quest.* 35. art. 4. & *quest.* 3. de potentia, art. 3. ad tertium. Scotus 8. *Physicæ*, q. 3. Sotus
ibidem, *quest.* 3. & alij omnes communius.

Dixi, motum proiectorum causari per impetum impressum; non enim vllō modo placet doctrina quorundam recentiorum, qui negant motum nullum localem immediatè causari ab ipsa virtute motrice, sed ab ipsa immediatè semper causari impetum, à quo deinde causetur motus. Non placet (inquam) quia vbi anima corpus mouet, non video vllam necessitatem impetus. Cur enim grauitas lapidis non producat ipsum motum immediatè, æquè ac impetum. In solis igitur projectis admitto impetum.

Primò enim contra Scaligerum, quod proiciens non solū imprimat motionem corpori quod proicit, probatur euidenter, quia motus non est ens permanens, sed successiuum, cuius vna pars perit adueniente altera: sed si proiciens lapidem imprimeret solū motum corpori projecto, motus esset ens permanens; vel enim proiciens imprimeret ab initio totum motum, & sic motus esset permanens, haberetque partes totas simul; vel ab initio imprimeret vnā tantū partem motus in spatio proximo, & sic posteriores partes motus non haberent causam, quia proiciens non operatur in spatio distanti: ergo manifestum est, quod proiciens non mouet projecta per impressionem solius motus.

Secundò,

Non mouet
aer com-
motus.

Secundò, quod motus proiectorum non cause-
tur per medium commotum à proiciente, proba-
tur, quia vehemens ventus non loco mouet paruum
lapillum; sed si quis proiciat lapidem aliquem
grandiorem aduersus vehementissimum ventum,
lapis mouetur, licet medium moueatur in partem
oppositam: ergo manifestum est, quod aer com-
motus non mouet proiecta. Et sanè nemo negare
audeat, globos tormentarios tanti ponderis, ad
tantam distantiam, tam recta via, ad tam certum
scopum moueri tanta vi, etiam flante in aduer-
sum vento.

Deinde quero, cur trochus tamdiu torqueatur
in gyrum, cur chorda bene tensa tandiu tremit, si
aer commotus illam mouet, cur acutiora, vt fagit-
ta, faciliùs moueantur, cum tamen minùs moueant
ipsam medium; cur necessarium est tangi id quod
expellitur; videtur enim sufficere, vt aer moueatur
vehementiùs? Cur pluma proiecta, nec tam pro-
cul, nec tam celeriter mouetur vt lapis? quia tan-
tundem aeris motum erit, & tamen minùs celeri-
ter mouebitur. Denique quando pila incurrit in
reticulum, refilit, & non potest dici, quod aer com-
motus referat pilam, quia ille sine dubio transit per
foramina reticuli.

Ex per im-
pulsium.

Tertiò denique, quod motus proiectorum cau-
setur à proiciente per impressionem qualitatis, se-
quitur ex dictis; si enim proiciens non causat so-
lum motum, & si aer commotus non defert proie-
cta, sequitur vt proiecta moueantur recipiendo
impetum impressum, qui sit vera qualitas; nihil
enim aliud est excogitabile quod possit immediatè
causare hunc motum, nisi vel proiciens, vel me-
dium, vel qualitas impressa. Deinde probatur, quia
magnes quando trahit ferrum, non mouet me-
dium, neque producit immediatè motum: ergo
producit impetum. Remora dum sistit nauim, non
potest imprimere aliquid præter impetum. Idem di-
co de Angelo dum alium detinet Angelum, vel ali-
quod corpus in medio aëre. Virtus ergo motrix,
quando est præsens mobili dum est motus, imme-
diatè producit motum; quando non est præsens,
producit impetum. Ex quo colliges, parum tutas
esse multorum experimentorum solutiones de mo-
tu proiectorum, & de motu leuium & grauium,
quas docti quidam recentiores ex eo solum prin-
cipio deducunt, quod mouens non producat im-
mediatè motum, sed impetum.

§. II.

Quidditas huius impetus impressi.

Difficultas
in membris.

O Biicitur primò. Omne accidens est connatu-
rale alicui subiecto, licet violentum sit alteri;
v.g. calor violentus est aquæ, sed igni natura-
lis: hic impulsus nulli corpori esset naturalis: er-
go est fictitiu. Maior est certa, quia omne acci-
dens ex sua natura respicit essentialiter aliquod
subiectum: ergo est connaturale alicui subiecto.
Minor ergo probatur. Quando lapis deorsum mag-
no impetu proicitur, ille motus est præternatura-
lis, vt patet, quia causat in illo motu maiorem ve-
locitatem, quam exigit grauitas lapidis; si autem
lapis proiciatur sursum, erit violentus: ergo ille
impetus nulli corpori erit naturalis.

Secundò. Si motus proiectorum fieret à qualita-
te inherente, ille motus esset connaturalis corpori
projecto, actio enim, quæ fit per principium inter-
num, dicitur fieri connaturaliter: vapor v.g. dici-
tur naturaliter ascendere sursum, & actus etiam su-

A pernaturaes, qui eliciuntur per habitum, eliciun-
tur connaturaliter: ergo si lapis moueatur sursum
per qualitatem internam, ille motus erit natu-
ralis.

Tertiò. Hæc qualitas vel est eiusdem speciei cum
virtute motiua naturali, v. g. virtus lapidem sur-
sum mouens eiusdem speciei est cum leuitate igitur;
vel est diuersæ speciei. Non est eiusdem speciei,
alioqui sequeretur lapidem fieri leuem, quando sur-
sum proicitur, deberetque corrumpi, saltem ex
parte, illius grauitas, accedente illa vera leuitate.
Nec est diuersæ speciei, quia mouet ad eundem
locum.

Ad primum respondeo, impulsium illud per se
loquendo nulli subiecto esse connaturalem, sed
vt sic esse violentum omni subiecto, cui imprimi-
tur; quia licet omne accidens respiciat essentiali-
ter & naturaliter subiectum, non respicit tamen
subiectum in quo recipiatur. Vnde distingo hanc
propositionem; omne accidens respicit naturali-
ter subiectum, in quo recipiatur vel connatura-
liter, vel violentè, concedo; in quo recipiatur
connaturaliter, nego.

Ad secundum respondeo, motum naturalem
non esse illum qui procedit à principio intrinseco
vim imprimente, sed illum, qui est à principio na-
turali; nam aqua calefacta non calefacit connatu-
raliter, neque vapor connaturaliter ascendit. Actus
supernaturales, qui fiunt ab habitu, fiunt connat-
uraliter, quia non fiunt à principio intrinseco vio-
lenter impresso. Violentum igitur est illud, quod
est à principio extrinseco, vel remotè imprimente
qualitatem violentam, vel proximè imprimente
motum violentum.

Ad tertium respondeo, impetum esse qualitatem
secundæ speciei, cum sit productiua motus; specie tertij.
distinctam à grauitate & leuitate; vnam specie in-
fima. Probatur specie distingui à grauitate & leui-
tate, quia grauitas & leuitas qualitates sunt natu-
rales, per se ordinate ad determinatum locum: im-
pulsus est qualitas violenta, quæ ad nullum deter-
minatum locum est per se ordinata, sed mouet in-
differentè sursum aut deorsum. Probatur illam
qualitatem esse vnam specie infima, id est impetum,
quo aliquid mouetur sursum, eiusdem esse speciei
cum eo quo aliquid mouetur deorsum, vel sinistror-
sum; quia scilicet omnes impetus conueniunt in
hac vna specie atoma, quod sint virtutes impressæ
à proiciente ad diuersos motus ordinatæ, quia li-
cet impetus tendant ad diuersos motus locales, non
tamen illos respiciunt vt diuersos, sed illos dunta-
taxat respiciunt sub communi ratione motus localis,
cum indifferentia vt determinentur ab agente in
hunc, aut in illum locum; quare quod hic impe-
tus ferat lapidem sursum, prouenit à proiciente,
qui determinat impetum ad talem locum; alioqui
impetus quando fert sursum, esset leuitas; quando
fert deorsum, esset grauitas; sicque cum grauitas
& leuitas se mutuo destruant, lapis amitteret suam
grauitatem, quando mouetur sursum.

Quæri potest, vtrum impetus causa sit principa-
lis ipsius motus, an verò causa solum instrumenta-
lis. Videtur, quod causa sit principalis, quia est nobi-
lior motu: videtur esse instrumentalis, quia non
mouet nisi vt virtus proicientis.

Resp. impetum magis propriè vocari posse cau-
sam instrumentalem, etiam si nobilior sit quam mo-
tus. Proprius enim causæ instrumentalis character
est agere vt virtutem vicariam alterius; impetus
autem mouet vt virtus ipsius proicientis.

§. III.

Solutio pri-
mi argu-
menti.

Solutio se-
cundi.

Solutio

Quæritur.

§. III.

Productio, & desitio huius impetus.

Prima difficultas.

Obiicitur secundò. Causa illius impulsus non potest esse alia præter motum: sed motus localis nihil producit intrinsecum mobili: ergo non datur talis impulsus.

Secunda difficultas.

Secundò. Vel produceretur eodem instanti in omnibus partibus lapidis, vel prius in vna parte, deinde in alia. Non primum, quia proiciens agit per motum, qui non est in instanti. Non secundum, quia totum corpus æquè primò mouetur: ergo debet in omnibus partibus habere hanc qualitatem.

Tertia difficultas.

Tertiò. Si daretur huiusmodi qualitas, illa non deberet vnquam desinere; vel enim desinet per introductionem contrarij, quod sanè nullum potest excogitari; vel ex defectu causæ creatæ conseruantis; illam autem non exigit, quia durat aliquandiu sine illa; vel ex defectu diuini concursus: at quando nullum adest contrarium, Deus conseruat qualitatem, alioqui similiter diceretur, quod anima, licet spiritualis, non esset tamen immortalis, quia desineret ex eo quod non exigeret amplius à Deo conseruari, sicut dicis desinere impetum.

Solutio prima.

Ad primum respondeo causam effectiuam huius impetus non esse motum localem. Primò enim impetus sic producit per vim attractiuam, vt non interueniat motus vllus; vt quando magnes attrahit ferrum. Verum quidem est, quod ab agente corporeo nunquam ferè producit impulsus sine motu ipsius proicientis; sed non est tamen etiam motus causa productiua impetus, sed est solum conditio sine qua proiciens non illum producat.

Solutio secunda.

Ad secundum respondeo, impulsus hunc, quoties producit cum motu locali, produci successiue, sicut motus ipse successiue producit. Quoties autem sine motu producit impetus, in instanti produci potest; semper autem, siue successiue producat, siue in instanti producat, recipitur in omnibus partibus ipsius proiecti. Cum lapis v. g. proicitur, impetus in singulis eius partibus eodem tempore producit, sicut quoties lapis mouetur, motum eodem tempore recipiunt omnes illius partes. Sicut autem motus in nulla parte lapidis producit in instanti, sed in eodem tempore diuisibili occupat omnes partes mobilis, ita vt non prius sit in vna, quam in altera; similiter impetus non producit in instanti, sed eodem tempore, quo producit in vna parte lapidis, producit in omnibus.

Quæsitum.

Quæres, an quando aliquis rupem aliquam maximam conatur toto connisu mouere, neque tamen villo modo mouet; vtrum (inquam) producat impetum in aliqua eius parte sibi proximior.

Resp. cum Vasque 1.2. disp. 81. probabilius esse, quod tunc in aliqua parte rupis producit impulsus, qui tamen exire non potest in actum secundum, propter alias partes connexas, quarum resistentiam proiciens vincere non potuit. Ratio est, quia cum proiciens habeat virtutem, quæ producere potest illum impetum, & partes illæ viciniores aptæ sint, ac capaces illius recipiendi, necessariò producit, quia posita causa necessaria, non potest non produci effectus, si ei applicetur subiectum capax ad eum recipiendum.

Desitio impulsus.

Ad tertium respondeo, istum impulsus non semper durare, sed desinere per subtractionem

A concursus diuini conseruantis. Deum autem idè subtrahere concursum, quia impetus talis est naturæ, vt paulatim langueat, & citius, vel tardius desinat, quò magis vel minus intensus est; quia postquam durauit aliquo tempore, non exigit amplius conseruari à Deo, quia scilicet cum subiecto sit violentus, & ad hoc institutus vt deferat proiectum ad certam vsque distantiam, quando illud detulit, postulat naturæ ordo, vt illum Deus non amplius conseruet. Huiusmodi etiam sunt habitus, & sonus, vt suis dictum est locis. Idem etiam contingeret in aëre purissimo, quem ignis calefaceret supra naturalem exigentiam; postea enim si subtraheretur ignis, reduceretur aër ad statum connaturalis; calor autem ille superadditus non posset perire, nisi ex defectu conseruationis diuinæ; quia suppono nullum ibi adest corpus, quod introducere possit frigus.

SECTIO IV.

De motu reflexo.

Certum est primò, motum directum eum esse qui fit per lineam rectam ad terminum ad quem distantem à mouente, vt cum quis ad decem passus proicit lapidem; motum reflexum eum, qui ab illo termino distante resilit ad ipsum mouens, vt quando pila resilit à pariete ad ipsum mouens.

Certum est secundò, quod quatuor modis contingere potest reflexio. Primò quando motus rectus est violentus, reflexus verò est naturalis; vt quando lapis sursum mouetur per impetum impressum, & cessante impetu naturaliter regreditur ad suum locum. Secundò, quando talis motus reflexus non est quidem violentus, sed est praternaturalis, vt quando parvus lapis sursum proiectus occurrat magno corpori cadenti, & multò maiore vi retrocedere cogitur, quam vi sua naturali caderet. Tertiò, quando aliquod corpus in suum locum naturalem peruenit, occurratque illi corpus durum, quo fit vt resiliat, vt pila si cadat in terram, resilit à terra. Quartò, quando aliquod corpus proiectum incurrit in aliud corpus durum, & ab eo immoto manente resilit, vt cum pila proicitur in parietem, & ab eo resilit.

De hoc itaque omni motu reflexo duo quæri possunt. Primò, quænam sit illius causa: Secundò, an detur semper aliqua quies in puncto reflexionis.

Dico primò, quando motus rectus est violentus, motus autem reflexus est naturalis, tunc causam motus reflexi esse vim motricem corporis resilientis; quando lapis v. g. sursum proiectus, decedit in terram, causa huius motus est sine dubio grauitas lapidis; non enim est impetus, qui detulit sursum.

Quando autem motus reflexus est praternaturalis, eo quòd mobile incurrit in aliquod corpus motum, causa illius motus reflexi esse potest tum impetus prius productus, tum corpus reflectens, quod moueri dicitur, tum virtus motiua corporis resilientis; v. g. cadenti ex alto trabi, occurrat paruus lapis sursum proiectus, qui cum trabe velocissimè infra rapitur; causa motus illius potest esse tum impetus à proiciente impressus, tum grauitas lapidis, tum trabs ipsa decedens.

Dico secundò, quando motus reflexus est violentus, eo quòd corpus resilientis occurrat corpori duro immoto manenti, causam illius motus reflexi esse solum proicientem, non autem corpus reflectens;

reflectens; v. g. quando pila resilit à pariete, causa motus illius reflexi non est paries, sed qui proiecit pilam.

Ratio est, quia impetus à proiiciente impressus potens erat deferre pilam ulterius, nisi à pariete impediretur: sed ille impetus propter parietem non cessat: ergo producit motum suum reflexum, sicut illum produxisset directum; est enim de se talis impetus indifferens ad motum, vel contra parietem, vel versùs proiicientem.

Deinde verò probatur quod non sit corpus reflectens immotum, quia corpus illud non potest imprimere impetum, nisi per virtutem motuam: sed potentia motuam non agit nisi medio motu: ergo corpus immotum non potest producere impetum, sed ad summum esse potest conditio; hinc enim sit v. g. ut reflexio non fiat si corpus in quod incurritur, sit molle, quod retardat & frangit motum proiècti.

Tertia conclusio.

Dico tertio, quando motus directus est naturalis, reflexus autem est violentus, causam illius esse tum aërem inclusum in corpore reflexo, tum impetum productum à partibus aëris in se redeuntibus; duritiem pavimenti, & figuram orbicularem esse velut conditiones: non enim reddi alia ratio potest, cur reflectatur pila lanea, non reflectatur lapis; cur magis reflectatur pila ex altiori decidens loco.

Quaestum de fune pendulis.

Quaeres, à quo moveatur corpus à fune aliquo pendens in aëre; videmus enim quod illud aliquo tempore mouetur, ac tandem quiescit; volo enim nullum adesse à quo producatur impetus, gravitas autem mouere non potest sursum, & tamen illius corporis fluctuantis motus est sursum.

Resp. causam harum fluctuationum esse impetum necessariò productum ab eo, qui corpus illud primò libravit; vel enim lapidem illum fune suspensum ex alto demittit, vel ex infimo attollit, ut libratus pendeat: tunc necessariò, vel demittens, vel attollens impetum producit, qui ad diversos illos motus vnus potest sufficere.

Quarta conclusio.

Dico quarto, esse omninò necesse ut in puncto reflexionis detur aliqua quies, vel instantanea, vel temporanea: quies instantanea est tantum discontinuatio motuum: motus directus & reflexus, cum sint contrarij & heterogenei, non possunt esse continui: datur ergo inter illos quies, saltem instantanea.

Quies verò illa instantanea sine dubio est, quando reflexio fit ex occurſu corporis quod mouetur; quis enim dicat, lapillum qui sursum proiectus occurrit trabi cadenti, quiescere per aliquod tempus, & sic retardare motum trabis decidentis? Quando reflexio fit à corpore immoto manente, ut cum pila resilit à pariete, vel à pavimento, tunc necesse est ut detur quies temporanea, alioquin daretur necessariò vacuum; pila enim cum non sit perfectè sphaerica, tangit planum in parte diuisibili: ergo ne detur vacuum, debet in eius locum succedere aër, quod fieri non potest in instanti: ergo pila non separatur à pariete in instanti.

Denique quando post motum directum violentum sequitur motus reflexus naturalis, v. g. quando lapis sursum proiectus deinde descendit naturaliter, datur quies temporanea in puncto reflexionis; quia tunc mobile quiescit, quando non potest ascendere, nec descendere: sed quando impetus est aequalis gravitati lapidis, lapis non potest ascendere, nec descendere: ergo necessariò quies-

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

cit, & hæc quies durat per aliquod tempus, quia impetus desinit succedere.

SECTIO V.

De causis motus localis.

Causa formalis essentia illius est, quam habemus exposui. Circa materialem dubium esse potest, vtrum indiuisibile separatim possit moueri. Circa effectiuam Aristotelis doctrina proponi debet de primo Motore. Circa finalem, quomodo motus localis efficere possit calorem.

§. I.

Vtrum indiuisibile separatim possit moueri.

Arist. 6. Physic. cap. 10.

Dico primò. Si esset possibile indiuisibile separatim, posset per se moueri naturaliter, saltem ab Angelo. Ita docent Scotus in secundum dist. 2. quaest. 9. Gregorius ibidem quaest. 2. art. 1. Valquez, Suarez & alij agentes de Angelis. Contrarium sentire videntur S. Thomas 6. Physic. lect. 22. Sotus quaest. 4.

Conclusio affirmatiua.

Ratio est, quia quicquid determinatam habet entitatem in loco determinato positam, potest loco moueri; punctum est huiusmodi: ergo punctum potest transferri ex vno loco in alium; quid enim excogitari potest, quamobrem punctum ita esset affixum vni loco, ut non posset in alium transferri. Deinde si punctum esset in ipso continuo, illud posset moueri: ergo etiam separatim moueri posset.

Obiicitur primò. Id quod mouetur, debet esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem: sed punctum esse non potest partim in termino à quo, partim in termino ad quem: ergo punctum non potest moueri. Minor probatur, quia punctum non habet partes.

Prima obiectio.

Resp. distinguendo illam propositionem: quod mouetur, est partim in termino à quo, partim in termino ad quem; si enim sensus eius sit, quod secundum vnā sui partem debet esse in termino à quo, & secundum alteram in termino ad quem, falsa est propositio; si autem sensus sit, mobile, dum mouetur, debere accedere ad terminum ad quem, & recedere à termino à quo, vera est propositio: sed quod caret partibus potest eo modo esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem.

Obiicitur secundò. Accidens diuisibile subiectari non potest in subiecto indiuisibili: sed motus est accidens diuisibile: ergo motus non potest subiectari in puncto indiuisibili.

Secunda obiectio.

Resp. duplicem esse diuisibilitatem motus, alia est subiectiua, alia est successiua. Prima est, quia motus extenditur ad extensionem subiecti, quod mouetur; ita ut vna pars motus sit in vna parte subiecti, & alia in alia. Verum est, quod accidens eo modo diuisibile recipi non potest in subiecto indiuisibili. Diuisibilitas successiua est, quā vna pars motus acquiritur post aliam, eo ipso quod mobile prius vnā occupat partem quā aliam. Potest accidens eo modo diuisibile subiectari in re indiuisibili, nihil enim repugnat indiuisibile subiectari in re indiuisibili.

Y

§. II

§. II.

Aristotelis doctrina de primo motore.

8. Physic.

Triplex sup-
positio.

Dico secundò, Philosophum 8. *Physicorum*, vt indaget doctrinam de primo motore, tria præmittere. Primò vtum mundus & motus principium habuerint; probatque vtumque sine initio fuisse, *vsque ad textum 21*. Secundò supponit omne quod mouetur, ab alio moueri, *ad textum 34*. Tertiò supponit quod in motibus deueniendum est ad vnum primum, quod ab alio non moueatur; non enim admittendum esse processum infinitum in mouentibus, *ad textum 40*. Vnde infert dari necessariò primum aliquem motorem, à quo motus omnes oriantur; idest Deum.

Quinque
propositio-
nes de Deo.

Statuitque primò illum necessariò esse immobiliem, alioqui mouendo fatigaretur; secundò illum esse vnicum ex vnitatem motus: tertiò illum esse perpetuum ex perpetuitate motus: quartò illum esse incorporeum, alioqui mouendo fatigaretur: quintò illum esse infinitæ virtutis, alioqui non moueret æterno tempore.

Hæc est Aristotelis doctrina, in qua verè quidem ille de Deo est ratiocinatus, sed ex rationibus non veris, quia non illuxerat illi lumen de lumine Christus Iesus, qui de Deo vera docuit, & mira fecit, cum esset Deus.

§. III.

*An motus localis producat calorem.*Con-clusio
affirmans.

Dico tertiò, motum localem esse reuerà productiuium caloris in omni corpore apto suscipere calorem; frigus autem per motum localem non posse produci, nisi per accidens. Videndi sunt de hac productione caloris per motum localem Cardanus lib. 2. *subtilitatis*, Scaliger exercit. 16. Interpretes Aristotelis *secundo cæli*, textu 42. & *primò meteororum*, cap. 4.

Probatio
multiplex.

Primò ergo constat experientià, sagittas motu aliquando sic inclescere, vt plumbei muerones colliquecant. Equi ex lapidibus eliciunt scintillas, ex durissimo silice ignis excutitu calybis attritu.

A cum lignum terebrâ perforatur, ambo inclescunt. In magna tempestate ex motu vehementi arborum in syluis factus est aliquando ignis. Similiter in malis & rudentibus nauium nimio motu exhalationes, quæ in illis sunt, igniuntur. Si lapides duo vehementer inuicem confricentur, inclescunt. Ignis subterranei accenduntur propter vehementem motum exhalationis calidæ, quæ non inueniens exitum, motu agitur, & ita semper calefit, donec fiat ignis, & accendat sulphur.

B Neque verò audiri debet Cardanus, qui negat calorem produci per motum localem in corporibus frigidis non habentibus consistentiam; contrarium enim patet eo quod ex remis percutientibus aquam, interdum accenditur exhalatio, & ex mola etiam circumacta in aqua.

C Secundò, quòd motus localis nunquam per se producat frigus, sed tantum per accidens, modo causæ sit frigus. Motus qui per se producat frigus, sed tantum per accidens, modo causæ sit frigus. probatur contra Cardanum, qui vult corpora humida motu frigeferi: docet tamen verè Aristoteles aërem motu caleferi, & igniti. Neque obstat quod aquæ fluuiorum currentes sint frigidissimæ, quia scilicet motu exhalationes calidæ mixtæ aquis dissipantur, & sic frigus naturale aquæ maius est. Similiter venti naturâ suâ calidi, cum sint calidæ exhalationes, motu frigidi euadunt, propter aërem frigidum, qui cum illis miscetur. Imò sæpè aliàs per accidens in animalibus per motum efficitur frigus propter dissipationem spirituum. Et in illis feruentibus quando aqua versatur & afflatur, minuitur calor per accidens quia per motum exhalantur vapores calidiores, & aër frigidus subintrat. Qui stat in sole magis calefcit quàm qui mouetur, non propter quietem, sed quia sol agit vehementiùs in corpus, quod quiescit.

Difficultas esse aliqua potest de causâ illius caloris, quem producit motus, sed verior, resolutio est, causam principalem illius caloris esse vim motricem, instrumentalem esse motum, qui est imperfectior calore, cum sit tantum entitas modalis, calor autem sit vera qualitas.

Supererant de motu locali alia non pauca, quæ in sequentibus tractatibus dici poterunt commodiùs, vt nuper monui.

TRACTATVS SECVNDVS.

De corpore simplici.

Ad quatuor Aristotelis libros de cælo.

CONSIDERA VI hætenus corpus naturale secundum se, dum eius principia, causas, & proprietates communissimas exposui; nunc ingerit se mihi statim primò species corporum & reliquorum omnium locupletissimum seminarium; corpus videlicet simplex, rudimentum, & tyrocinium maiora meditantis naturæ, fodina locuples mixtorum omnium, & rerum intereuntium immortale remedium. Habet Physica in eius consideratione quod stupet, quia officina illa & communis miraculorum Dei (ait Theodoretus lib. 4. de Græcorum affectionibus) habet quod amet; quia, teste Nazianzeno orat. de Theologia, ipseus incredibilis